

Embedded reading

Andromeda

Versio I

Fuit Andromeda pulcherrima virgo, filia Cassiopeae et Cephei, qui in Asia regnabant. A prima aetate formosa fuit puella. Eius mater, interrogata, sine mora respondit: „Utinam“ inquit „hic adessent illae maris nymphae! Tunc enim omnes videretis **meam Andromedam iis multo pulchriorem esse!**“

Eius verba usque ad Nereidum aures allata sunt; quae iratae statim ad Neptunum cucurrerunt, qui primo mirabatur, *deinde* e media Oceano novum monstrum evocavit.

Saeuissima igitur illa bestia civium caedem fecit. Preces audivit Neptunus, neque tamen consilium mutavit.

Deus dixit **Andromedam filiam bestiae offerendam esse**. Inquit terribili voce Neptunus: „Ferum monstrum a tua regione abibit et iterum in mare, unde venit, redibit.“

Rex ad uxorem rediit eique narravit. Quae marito persuadere conata est; ille vero, quamquam valde filiam suam amabat, quod deus postulabat faciendum esse constituit. Iussit igitur **Andromedam ad maris litus adduci, atque catenis ferreis ad saxum vinciri**. Mater plorans ad Cepheum „Quomodo“ clamabat, „hoc facere potuisti, mi vir?“ Qui, inter lacrimas, „Quaeris a me, o uxor?“ inquit. „Regis officium est servare cives suos.“

Forte vero Perseus in illius regionis ora errabat; qui valde stupuit atque ad puellam, cuius tanta pulchritudine captus erat, accessit talia verba dicens: „O formosissima virgo, dic mihi; mihi quoque narra.“

Primo siluit illa, nec cum viro ausa est loqui. Pudebat enim oculosque replevit lacrimis; deinde dixit, neque occultavit. Tum narravit. At horrendus sonus e maris fluctibus auditus est. Ingens bestia celerrime ad litus veniebat. Clamavit virgo: maerebat pater, et mater paene amens adstabat; neuter tamen auxilium ullum ferre poterat, sed tantum lacrimas dignas effundebant, nec se a vincto filiae corpore movebant.

Perseus vero „Non est nunc tempus lacrimandi!“ inquit, „opem nunc ferre necesse est!“ Oraverunt igitur parentes „Tu, qui es fortissimus, fer auxilium puellae nostrae! Eam tibi uxorem dabimus!“

Gerebat in pedibus Perseus calceos alis ornatos, *et* sursum in aere usque ad nubes volavit; inde vero in monstri tergum impetum fecit, gladiumque suum in

dextrum ferae umerum infixit. Quae primum se in aquas mersit; deinde ex fluctibus surrexit; tum Perseum mordere conabatur, at ille eius impetus facile vitabat; denique saevam bestiam etiam atque etiam in compluribus corporis partibus ense vulneravit, donec illa ex vulneribus mortua est.

Gaudent Andromedae parentes, laetantur cives, Perseumque victorem salutant: Inquit Cepheus: „Ecce, eam uxorem accipe: dii vos tueantur!“

Perseus pulcherrimam virginem catenis solvit ac multis verbis consolatus est; postea eam secum duxit.